

nuas quadringentas regi Pannoniæ per triennium pollicitus est se daturum. Domi vero inter hæc, ne ad bellum pecunia deesset, lex est lata, uti qui fundos atque agros in continenti possiderent, pro quoque soli culti jugero, siliquas argenti septem in ærarium conferrent; semel quidem tantum, præter Carnos, quorum se in fines Turcæ superiori anno intulissent: literæque ad civitates datæ, quæ eas hortarentur, tam duris reipublicæ temporibus ne deessent, atque urbem laborantem sublevarent. Pisaurus classe Corcyrae remigibus reliquisque rebus instaurata, ad naves longas, quas Turcæ in Loi fluminis ripis ædificaverant, atque in flumen deduxerant, capiendas aut incendendas animum adjecit. itaque cum sciret ejus fluminis ostium adiri magnis a navibus non posse, alveo diffundente se se magis, quam demittente, nisi cum flumen ex imbribus crevisset: tametsi inventa hostium navigia satis alta aqua excipiebat, oneriarum & longarum navium scaphas complures integi jussit, quibus in scaphis atque in biremibus duabus milites imposuit, Marcumque Orium navium oneriarum præfatum, qui se obtulerat, ei negotio præposuit. ipse Aulonam cum longis navibus est aggressus, ut hostes occupatos ea in propugnatione distineret, ne suas peti naves existimarent. Porro Turcæ vel de ea re, ut sæpe fit, certiores facti, vel ipsimet propter recentem in sinu Ambracio navium suarum jacturam idem in Loo flumine metuentes; eas naves longius ab ostio in flumen introduxerant, passuum milia quatuordecim, atque una composuerant sic, ut proras Secundum cursum fluminis conversas haberent: ipsæ, quod remi nondum erant impositi, inter se conjunctæ totum flumen caperent. Ripas autem Turcæ tormentis communierant ad naves hostium repellendas. Orius audacissime superato flumine, cum navibus Thraciis appropinquavisset, eas magno militum præsidio fultas atque instructas est conspicatus: tum missis in eum ex utraque ripa frequentibus tormentorum pilis, ad illas proprius accedere non potuit. itaque omnem aditum frustra expertus, crescente hinc atque hinc hostium multitudine, scaphas retrahi imperat. Red-

H. Bembi.

N

eun-